



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

11. Insalutatam dræterit patriam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

ab Xaverio maximè quâ potissimum opus erat. Dum enim recentis horror periculi, salubri monito hunc prætat docilem, ex eo sciscitatur in tam præfenti vitæ periculo, quid tandem animo versasset? at is ingenue fallus est in procinctu illo distendi se æterno tribunalî, occurrisse mox animo viuam Ordinis illius imaginem in quem fuerat nuper à Deo vocatus, & hoc sibi admissum tam crudeli morsu conscientiam exprobrasse, vt eius reddenda ratione, quàm ipsa morte discrucietur violentius. Sub hæc de supino salutis neglectu, de atrocitate sempiterni supplicij sceleratis parati; eo animi sensu, ea verborum expressione loquebatur, vt modo ex inferis ignibus videretur, non ex fluuij aquis emersisse. Fuit & alius in via casus Xaverio, argumentum beneficæ caritatis. In transgressu Alpium Legati Scriba, tantillum semita exiens præceps in barathrum corruit, quod niues altissimæ plano æquatum cælauerant, & deuoluebatur in subiectum torrentem mergendus aut comminuendus, nisi Deo volente ruina tandem substitisset. Sed loco hæserat tam pauendi accessus vt auderet nemo tentare aleam hominis inde retrahendi; vnus Xaverij generosum pectus, seu verius dixerim, mascula caritas, per calcatum periculum euadens, eò se dimisit, satigitque, tam vario, & industrio nisu, vt eum imprimis, se verò deinde in tutum seduceret. Quare hic vti & alij quorum memini, duo, mirè aduersus Xaverium grati, vitæ suæ parentem illum perpetuo dixere; ipse grato illorum animo, vni eorum bono perpetuo vsus est nempe vt efficeret meliores.

11

Infelucitam
Arzeterit pa-
triam

11. Transmisso iam saltu Pyreneo cum eò ventum est, vnde castrum Xaverium propius aberat, expectabat Legatus eò excurrendi occasionem acciperet proclinem vtique, ac fere necessariam, vt postremo suorum reficeretur aspectu, & affatu; vel si minus suorum afficeretur necessitudine, matri saltem grandææ suprema verba, & fratribus diceret. Miratus verò, diuerticuli huius nullam ab eo fieri mentionem; non modo id illi suggestit, sed suasit etiam vehementer; tum quod ita prorsus fieri deceret; tum quod notam sibi duritiæ apud nobiles illos hæsuram cerneret, si post longinquitatem absentia illuc Xaverium deducens, vnde nunquam esset rediturus, ne obiter quidem illius copiam ijs fecisset. At qui sæculo valedicens nihil se illic præterea quod suum diceret, habere statuerat, induci non potuit, vt de via Apostolicæ missionis tantisper flecteret, aicns mutuos propinquorum complexus se illuc differre vbi non forent obiter dandi, & accipiendi, sed solidis gaudijs cumulati, cum hic & raptim iungerentur, & suo aliquo semper fastidio miscerentur. Iam quidem Mascaregnas, singulari, prudentia vir, & cæus Xaverij obseruator, intimè illum perspexerat, & tam altè de illo sentiebat, vt ante suum in Lusitaniam aduentum cursorem cum literis ad Regem præmitteret, quarum erat præcipuum argumentum Xaverij sanctitas, quem ipsius obsequijs in salute Indorum operam nauaturum, secum adducebat; de hominis innocentia, humilitate sancta, contemptu sui, rerumque caducarum scribebat

bebat ita magnificè vt eius expectatione, & desiderio Rex ipse aulam suam lætus recrearet.

12. Vlyssiponem Iunio exeunte peruenerat, statimque diuertit in Nosocomium omnium Sanctorum, vbi socij eius duo nauigio aduecti, hospitium sibi delegerant. Illic ergo Simonem Rodericum salutans, quo pacto temporis pertinacissimæ quartanæ accessionem opperiebatur, dulci caritatis miraculo persanauit, nam ab eo complexu in posterum nullum eius febris residuum sensit. Elapso triduo in aulam euocatur excipiturque ab Rege, & Regina Xauerius reuerenter vt sanctus; fatigatur ab ijs humanissimè rogitando, de recenti tunc Societatis instituto; de sæua præsertim tempestate, qua Romæ fuerat iactatus Ignatius, & iam vbique Prouinciæ perstrepebant; de prouidentia Numinis in eo conflictu admiranda, quæ Deo in gloriam atque in testimonium virtutis Ignatio vertisset, quod ab Hæreticis fuerat in eorum dedecus concinnatum, hinc ad visendos Principes filios ab iisdem perducti Ioannem & Mariam; dumque in anni proximi ver primum nauigatio Indica expectatur, adulescentes nobiles ad centum qui ad aulæ morem sangebantur, iussi suam in curam suscipere, christiana virtute, pietateque imbuendos. Post quæ comiter dimissi nosocomium repetunt, tam religioso ibidem hærendi proposito, vt neque in Aula, nec alibi vsquam, honorariam habitationem, à ministris regijs plurimum oblatam admiserint; ac ne sportulam quidem, regis mandato assignatam, statis enim horis quotidie ostiatim victum corrogabant; quanquam visum deinde horas illas maiori prouentui, iuuandis animis infumi oportere; crescente videlicet in dies eorum numero, qui opem ab ijs flagitabant; retinuere hinc tamen vt quot hebdomadis semel & iterum mendicantes prodirent, haud quidem leuandæ egestati, sed religiosæ demissioni exercendæ. Inter hæc Martinus Azpilqueta, cognomento Nauartus primus Conimbricæ Professor, diuinis literis, & peritia Canonum celebris, de Xauerio audit sororis filio, quod fama vulgauerat: dat extemplo ad Regem supplices rogans etiam atque etiam ad paucos dies illum sibi Conimbricæ permitti, saltem ultimo salutandum; ac si eo vsque sibi eius copia fieret, dum sui muneris expleisset tempus, spondebat se tanti beneficij gratiæ repositurum Vrbi scholas duas nullo stipendio, alteram Theologiæ Mysticæ; Canonum alteram, ac demum post annos aliquot, futurum illi apud Indos prædicandi Euangelij socium; at enim plures apud Regem Xauerij preces, quam Nauarri fuere: nec his detentus est, nec missus Conimbricam: nam de illa quam is memorabat societate itineris Indici, ac laborum, sic ipsemet scribit, *Ibi etiam ipse vitam finissem, nisi ille quando Olyssipone discessit, me iam senescentem, laboribus animo conceptis imparè iudicasset, scribens vt absentiam patienter ferrem in terris, præsentiam sperans in cælis.* Quam porrò lætos, & vberes quæstus, suo illo ardenti; & diuino animarum commercio legerent Xauerius, & Simon Rodericus, ex concionibus publicis, ministerio factorum, dissidentibus componendis, reuocandis ad mentem

12.
Vlyssipone
gesta ab Xa-
uerio

c. 24. n. 10.
manual.